...thnicus renovatus enervatus
seu Theses contra novos Ethnicos.

ETHNICISMVS RENOVATVS ENERVATVS,

Seu

THESES

Contra nouos Ethnicos, creaturarum cultores: Homines phanaticos; Arianos nouos, creaturam Deificantes, hoc est, cultum vnius veri Dei ad creaturas transferentes; Ethnicismum in Christianam Rempublicam inducentes, subtili quodam, ac mellito artificio, quod in his Thesibus detegitur, dissoluitur, diluitur.

Per

Fr. IVSTINVM S. T. MAGISTRVM, AC Regentem Studij Generalis Cracouiensis Ordinis Prædicatorum.

CRACOVIÆ,

Ex Officina Francisci Cæsarij. 1638.



Brasily Busurde docuit primy pluviá a Jove impetrare ut tu sputes interficeret, y tam primy zgrat abeo.

ILLVSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO Dño,
D. IACOBO ZADZIK
Episcopo Cracouiensi, DVCI
SEVERIENSI,
Domino in Christo obseruandissimo.

Illustrissime ac Reuerendiss: Præsul,
Pastor vigilantissime, Senator Ampliss:

V*Erè à Sapiente quodam dictum est:* Nihil esse tam firmum, & tam constans, quod sit omninò à criminatione tutũ, *adeò in dissidia procliuis est natura mortalium. Quis crederet in tantâ luce Euangelij, post euersam, & iam pridem prostratam idolatriam, post illa Fausti Socini, Ioannis Statorij, Valentini Smalcij, Hieronymi Moscorouij, aliorumq́; nouorum Arianorum, infausta, impia, & execranda, Ethnicismum, & Idolatriam in Rempublicam Christianam inducentia, sæpius à Theologis Catholicis refutata dogmata, rursus Ethnicismum, & Arianismnm in Polonia consurgere, ac renouari?* Duces hic Ariani

 Anno

Anno proximè elapſo, prodijt in lucem libellus, cui Titulus, LAVRVS IN IGNE STREPENS. *Lublini impreſſus, in quo Author, (cuius nomini parco, non enim homines, ſed errores taxo) collectis multis SS. Patrum ac Theologorum ſententiis, partim a ſe confictis, partim truncatis, partim mutatis, partim in ſuum ſenſum prauè detortis, omninò probare contendit:* Creaturam *(abſolutè loquitur)* coli poſſe, & oppoſitum ait eſſe Hæreticum. *Inſuper eos qui Chriſti imagines, res ſacras, imò & Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum colendo, ratione excellentiæ diuinæ creaturam non colunt, ſemel, iterum, ac tertiò hæreticos pronunciat. Priuatus homo, cui dici poteſt:* Tu quis es, qui ſeruum alienum condemnas? *Imò Beatiſſimum Papam, Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, Eccleſiæ Doctores, & in vniuerſum omnes Chriſtianos, hæreticos in tuo cerebro facis? Ipſi enim oppoſitum ſentiunt, creaturas non colunt, & eas ſimpliciter coli poſſe negant, & pernegant; Imagines Chriſti, Sacroſanctam Euchariſtiam ratione excellentiæ diuinæ colendo, non creaturam (vt tu vis) ſed ipſum Chriſtum verum Deum latriâ adorant. Siccine totam Eccleſiam Catholicam hæreſeos damnabis, & Idolatras, Arianos nouos, magos, ſagas, homines phanaticos, qui creaturas & dæmonia colunt, fideles facies? O puniendæ vocis temeritatem! Quid hoc aliud eſt, quàm Chriſtianam fidem abnegare, & Chriſtianos in Ethnicos, ac Idolatras abſurda metamorphoſi velle tranſmutare?*

Hic iam Hæretici veterem illam cantilenam: Ponti-

ficij

ficij non sunt Christiani, idolatræ sunt, quia creaturas colunt, lapides, ligna, imagines, Hostiam Sacramentalem cultu diuino adorant, *altius intonabunt: cùm audient apud nos integrum esse creaturas colere, & qui secus senserit vel dixerit, hæreticum esse; cùm legent Ecclesiæ censuram de cultu imaginum, & de adoratione Sacramenti Eucharistiæ, à nobis debere intelligi de cultu creaturarum, & qui colendo imagines, vel Sacrosanctam Eucharistiam, non colit creaturã, hæreticum esse, quàm altum putas cachinnũ mouebunt?*

Hoc tam execrandum ac pestiferum dogma, Author cum tanta contentione defendit, vt nè pro aris quidem ac focis, agere quis queat contentiosius. Et has affanias suas, tantá arte, ac tali fuco verborum contegit: tam mellitis, & ad fallendum compositis verbis, illa religione, ac pietate fictâ, disputationum frequentiâ, famâ, ac eruditione prætensâ, tam splendidè vestit, nominibus primorum Patrum de Ordine Prædicatorum quibus libellum dedicauit ita condecorat: vt in errorem inducantur, (si fieri potest) etiam electi. *Maximè cum hanc suam doctrinam à Sanctissimo Officio Generalis Inquisitionis Romanæ approbatam esse diuulget.*

Ego officio meo coram Deo, & vniuerso Orbe Christiano me satisfecisse puto, cùm has artes detego, & Theses meas Illustrissimæ Celsitudini Tuæ, cui in Ecclesia Dei gubernanda, in pestibus istis reprimendis vigilantia ea est, vt nihil magis doleas, quàm cum oues tibi concreditas, quarum salus Tibi vitâ ipsa carior est, errorum caligine obcæcatas vides, dedico, & offero.

Quid istiusmodi molitiones spirent, & quàm funestus earum exitus esse soleat, præsertim in hoc tam amplo, & tanta libertate claro Poloniæ Regno, vbi ita vt nullibi impunè magis ac impudenter infinita illa nouandi libido sese prodit, & effudit, Tu ipse, vtpotè Pastor vigilantissimus, Senator prudentissimus, me multò rectius perspicere poteris.

Sciebam D. Augustinum alicubi dixisse: Quæ à veritate non veniunt, plerumque cadere nullo impellente, ac seipsa subuertere. *Fuêre tamen qui ex Seneca monerent:* Rem falsam, & inanem nisi redarguatur, habere nonnunquam fidem, multosque esse homines iudicij parum firmi, qui nihil audiant, legantque, quod non credant, nisi refutatum sciant: his à Scriptore verace medendum est. *Hæc mihi causa fuit edendarum harum Thesium mearum.*

Vlterius, mearum partium esse duxi. Sacrosanctum Ecclesiæ Romanæ nomen tueri, ac Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Sanctissimi Officij Generalis Inquisitionis Romanæ supremorum Antistitum, ac Iudicum, clarissimam famam, quam creaturarum adoratores violarunt, expiare. Expiandi rationem nullam meliorem vidi, quàm has Theses meas Illustrissimo Celsitudinis Tuæ nomine collustrare, cuius fides, & pietas in Deum, erga Ecclesiam Romanam mira obseruantia, erga gregem Tibi commissum, summa vigilantia semper enituit. Et quo Te altius sua in Rempublicam præclara merita subuexerunt, tanto impensius Fidem Catholicam, & Reipublicæ vnitatem, sartam, tectam esse vis, curas, promoues. Facile itaque induxi in animum meum, vt

sub

ſub Illuſtriſſimi nominis Tui tutella ac patrocinio, has Theſes ederem, quatenus hoſtes fidei tanto ſplendore perculſi, non glorientur, non exultent, non triumphent de nobis, nec dicant nos idolatras eſſe, eò quod imagines Chriſti, Sacroſanctam Euchariſtiam, cultu diuino colimus, & veneramur. Hîc ſuccinctè ac breui methodo deſcriptam habent rationem cultus, quem Ortodoxi rebus ſacris, imaginibus ſacris, Humanitati Chriſti, Cruci Chriſti, ac Sacramento Euchariſtiæ, exhibent, quatenus intelligant nos tantum ab idolatris diſtare, ſicut cælum à terra, & de nobis in poſterum aliter ſentire velint. Atque hæ cauſæ ſunt, cur Illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ, has Theſes meas offeram, dedicem, & conſecrem.

Accipe ergo Illnſtriſſ: ac Reuerendiſſ: Præſul, ea qua ſoles alacritate, hoc meum quale quale deuotionis meæ in Te argumentum, & quantum licuerit per grauiſſimas Eccleſiæ, ac Reipublicæ occupationes perlege; munus quidem exiguũ, at Amplitudine Tua non indignum. Cui enim Theſes de rebus fidei conuenientius inſcribuntur quàm Epiſcopis, Apoſtolicæ dignitatis hæredibus, quos Spiritus ſanctus Eccleſiæ Dei præſides eſſe voluit, & Iudices ſacrorum conſtituit? Viue, & Vale.

Illuſtriſsimæ Celſitudinis Veſtræ

obſeruantiſsimus,
Fr. Iuſtinus S. T. Magiſter ac Regens Studij Generalis Crac. in Conuentu SS. Trinit. Ordin: Prædicatorum.

Maledictus omnis, qui adorat creaturam, & facturã. Deut: 27. 15. ita hunc locum allegat D. Chrysostomus, Tom: 3. de S. Trinitate à principio.

D. Epiphanius Tom: 2. lib: 2. contra Ariomanitas, hæresi 69.

Stultum est creaturam Deificare. Reprobat autem primum præceptum, quod dicit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Raymundi Lulli propositio damnata à Gregorio XI. vti hæretica.

Hæresis. *Licitum est creaturas adorare, & honorare honore & adoratione latriæ absq; peccato, imò meritoriè, in quantum sunt repræsentatiuæ sui creatoris.* Ex Nicolai Eymerici Directorio Inquisitorum Libro 2. Quæstione 10. versu *Secunda hæresis.* mihi folio 263. Et Abrahamo Bzouio Tom: XIV. Anno 1372. num: 14. errore 4.

Errores, & Mendacia, quæ creaturarum noui cultores, vnâ cum Arianis nouis per Poloniam, & alibi ſpargunt: eoſque à SS. Tribunali Gen. Inquiſitionis Romanæ approbatos eſſe, non minus temerariè, quam impiè diuulgant.

1. *Creatura* (abſolutè loquuntur) *poteſt coli*: Et oppoſitum aſſerere, eſt Hæreticum.

2. Deus dixit: *Adorate ſcabellum pedum eius*, ſcilicet Arcam; ideo *Creatura* abſolute *coli poteſt*.

3. Populus Iſraeliticus adorabat Arcam, menſam, propitiatorium, & totum tabernaculum, ideò *Creatura* abſolute *poteſt coli*.

4. Res ſacræ in honore habentur, & ſerpens ille æneus fuit in honore, ideo *Creatura* abſolute *coli poteſt*.

5. Eccleſia cenſet adorandas eſſe imagines, ideo *Creatura* abſolute *coli poteſt*, Et oppoſitum aſſerere eſt hæreticum.

6. *Creatura* (abſolutè loquuntur) *poteſt coli duliâ*. Et iſta eſt ſententia omnium Doctorum, maxime ſancti Thomæ, & D. Auguſtini.

7. Hæc propoſitio. Creatura ſic poteſt coli cultu duliæ, quod poſſit coli cultu latriæ, etiam præcisè abſque ſuâ exponente, non eſt Hæretica.

8. Creatura poteſt coli cultu latriæ, hoc modo: Si Diuina excellentia ſit ratio formalis, colendi creaturam, & oppoſitum aſſerere eſt Hæreticum.

9. Si creatura non poſſet coli cultu latriæ, ratione excellentiæ

cellentiæ diuinæ : Sacramentum Euchariſtiæ non deberet adorari adoratione latriæ propter excellentiam diuinam.

10. Concilium Tridentinum ſeſſ: 13. c. 5. determinat Sacramentum Euchariſtiæ debere adorari latriâ, ideò creatura ratione excellentiæ Diuinæ, capax eſt latriæ.

11. Angelus in veteri lege ratione excellentiæ diuinæ, colebatur latriâ : & hæc eſt Doctorum Eccleſiæ ſententia.

12. Imago Chriſti propter excellentiam Diuinam colitur latriâ : & hæc eſt Doctorum Eccleſiæ ſententia.

13. Caietanus docuit B. M. V. poſſe coli latriâ.

Mendacia ſæpius repetita.

Sunt hæc :

Omnes hæ Propoſitiones ſunt Doctorum Eccleſiæ, & maximè D. Thomæ, Capreoli, Caietani, Ferrarienſis Raphaelis, de la Torre.

THESIS I.

INiuriâ Ariani noui & cæteri Creaturarum cultores, in suum errorem trahunt Raphadem de la Torre Theologũ Dominicanum, quasi ipse docuerit: *Creaturam sic posse coli cultu Duliæ, quod etiam posit coli cultu latriæ*. Et rursus. *Si diuina excellentia sit ratio formalis colendi creaturam, propter excellentiam siue naturalem, siue supernaturalem, creatura latriæ capax est.* Quod ipse nunquam somniauit. Primum punctum quod videlicet *Creatura sic posit coli actu Duliæ, quod posit coli cultu latriæ* apud Raphaelem non inuenitur. Secundum punctum Raphael ita habet: *Quando proximi coluntur propter Deum ita quod excellentia diuina sit ratio formalis colendi proximos, & immediatum & proximum motiuum cultus, siue cultus ille sit naturalis, siue supernaturalis.* Ecce non dicit propter excellentiam naturalem siue supernaturalem creatura latriæ capax est, *sed non est necessaria alia virtus, præter Religionis virtutem, quæ circa cultum Dei versatur.* Et huius rationem asignat: non quod creatura latriæ capax sit, sed *Quia* inquit, *in tali actu Deus ipse colitur* Do ipsius verba: *In tali actu proximorum, potius debet dici coli Deum, quam proximos.* Et post pauca. *Iste modus colendi proximos ad Latriam pertinet, quia reuera cultus Dei est.* Et ante Raphaelem idem docuit D. Augustinus in Regula; *Et honorate in vobis Deum inuicem. Deum* inquit, *non creaturam.* Et nullus fuit adeò stultus inter Catholicos, qui assereret in tali actu, Creaturam simpliciter, esse latriæ capacem, sed omnes vnanimiter docent quod in tali actu colitur ipse Deus: Creatura verò non simpliciter, aut ratione solius excellentiæ diuinæ: sed si habet specialiter sibi vnitum Deum, vt Humanitas Christi;

Super 22. q. 81. art. 4. disp. vnica num. 12.

B

aut præsentem siue intraneum Deum, vt Sacramentum Eucharistiæ, aut in esse repræsentatiuo est vnum cum Christo, vt imago Christi, Et nihilominus tunc non creatura, sed Deus in Creatura colitur latriâ.

II.

IN tali actu quo colitur proximus propter Deum, licet non creatura, sed Deus ipse colatur; nihilominus Ecclesia ipsum non vsurpat, quia cùm proximus sit capax cultus secundum se, daretur ansa & periculum errandi; nam videretur cultus diuinus in eo sistere, & non in Deum referri. Cessante vero hoc periculo, siue scandalo, tunc coleretur latriâ, non creatura, (vt aduersarii dicunt) sed Deus in creatura, qui stante scandalo latriâ in proximo non colitur, ne occasio Idolatriæ præbeatur. Si igitur Deus ipse in creaturâ rationali ratione scandali, latriâ non colitur, quomodo creatura rationalis latriâ coli poterit? quamuis enim ratio illius cultus sit excellentia diuina, nihilominus illa creatura semper est creatura.

III.

FAlsò allegatur S. Thomas, quasi ipse doceat: Sicut amor Dei, & proximi ad eandem virtutem charitatis pertinet, ita & cultus Dei, & proximi ad eandem virtutem Religionis spectat. Cùm ipse expresè oppositum teneat, & discrimen ponat inter amorem Dei, & honorem *22*. q. *25*. art. *1*. ad *2*.

IV.

CAlumnia est vanissima quod S. Thomas 3. p. q. 25. art. 3. & 22. q. 102. art. 3. ad 4. Alensis 3. p. q. 30. memb. 3. art. 2. §. 1. B. Albertus M. in 3. d. *9*. art. 4. ad 2. & tertium. Caietanus 22. q. 103. art. 3. doceant; Creaturam posse coli latriâ, aut esse capacem latriæ, ratione excellentiæ Diuinæ. Quisquis ea loca inspexerit, me non vanum esse testem comperiet.

V.

ISta propositio. *Creatura potest coli* si absolutè ponatur vt à concertatoribus ponitur, non est Christiana, sed Ethnica esse conuincitur, necessariâ consequentiâ, hoc modo:

Creatura potest coli,
Lignum est creatura,
Ergo lignum potest coli.

Præterea datur occasio Magis, Veneficis, Sagis, adorâdi Dæmones.

Secus

Secus si addatur: *Creatura cui inest sanctitas, virtus, excellentiâ, seu quæ est ordinata ad diuinum cultum.* Nam his seclusis, Creatura non potest coli.

VI.

OPpositum asserere, hoc est, negare *Creaturam* absolutè, *posse coli*, non est Hæreticum; Alias omnes Christiani essent Hæretici, qui nedum creaturas non colunt, verùm etiam eas coli posse absolutè, negant, & pernegant.

VII.

CReatura absolutè *coli potest*: quia res sacræ in honore habentur, & adorantur. Ratio ineptissima. Nam res sacra plus dicit, quã creatura. Res sacra enim dicit ordinem ad Deum, cuius cultui specialiter est dedicata, quo ordine sublato, res sacra non minus coli poterit, quam truncus, aut stipes. NB.

VIII.

DEus illis verbis: *Adorate scabellum pedum eius*, id est, Arcam; nõ mandauit creaturam colere, sed seipsum in arca, ad cuius cultũ illa erat ordinata, & Christum significabat. D. Thomas 1 2. q. 102. art. 4. ad 6. Vnde ex hoc inferre non licet: *Creaturam coli posse.* Nam sublato illo ordine ad Deum, seu ad Christum, Arca illa non minus erat adoranda, quam quæuis alia arca communis. Et idem dic de tabernaculo fœderis. *Psal:. 98.*

IX.

DEus præcipere non potest, vt creatura colatur latriâ, alias seipsum negaret, qui dixit: *Gloriam meam alteri non dabo.* NB *Isa: 49. 8.*

X.

QVisquis docet, propter mandatum Dei creaturam coli posse cultu diuino, cum Arianis sentit. Ariani enim Filium Dei quem creaturam dicunt, cultu diuino adorant: quia inquiunt mandatum Dei habemus: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et rursùm: *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* *Heb 1. 6.* *Ioã: 5. 23.*

XI.

SErpens æneus quem Moyses erexit, licet fuerit in honore, ob insigne beneficium curationis Iudæis præstitum, & propter mysterium: non tamen propositus fuit ad cultum, maximè illi populo rudi, leui, ad idolatriam propenso. Vnde quando Iudæi eum colere cæperunt, Ezechias Rex piissimus eum confringi mandauit. Quare *4. Reg. 18: 4.*

ex hoc probari non poteſt *Creaturam* ſimpliciter *coli poſſe*, imò oppoſitum.

XII.

MOyſes iuſſus ſoluere calceamenta in ſignum honoris, & reuerentiæ loci illius, in quo Angelus perſonam Dei gerens, ei apparuit, non terram adorauit, ſed Angelum in loco illo ſtantem, vti creaturam excellentem cultu duliæ, & Deum in Angelo cultu latriæ. Vti in ſimili de Abraham, & Ioſuè docet S. Thomas. Vnde ex hoc craſsè infertur quod *creatura* abſolutè *poteſt coli.*

22. q. 84. art. 1. ad. 1.

XIII.

ECcleſia approbat cultum imaginum. Ergo *Creatura* abſolutè *poteſt coli*. Argumentum eſt idolatrarum, quo probant idolatriam non eſſe peccatum. Quod S. Thomas cùm propoſuiſſet, ita reſoluit. *Ad primum ergo dicendum, quod neq; in veteris legis tabernaculo, ſeu in templo, neq; etiam nunc imagines in Eccleſia inſtituuntur, vt eis cultus latriæ exhibeatur: ſed ad quandam ſignificationem.* &c. *Secus autem eſt de imagine Chriſti, cui ratione diuinitatis latriá debetur.* Per hoc tamen imago Chriſti ratione diuinitatis, latriæ capax non eſt, quia ille cultus non eſt ſuus, ſed Chriſti.

22. q. 94. art. 2. arg. 1.

XIV.

ISta propoſitio: *Creatura poteſt coli cultu Duliæ,* ſi abſolutè profeſratur, vti profe: tur à Creaturarum cultoribus, non eſt Chriſtiana, ſed Ethnica eſſe conuincitur, tali ratione:

Creatura poteſt coli cultu Duliæ,
Aſinus eſt creatura,
Ergo Aſinus poteſt coli cultu Duliæ.

Vlterius datur occaſio dæmonum cultoribus eos adorandi cultu duliæ, vti faciunt Sagæ, quæ eorum imperia exequuntur, & ab eis ſuffragia petunt. Secus ſi addatur: Creatura rationalis, aliqua virtute, ſeu excellentiâ, ſeu authoritate prædita. Nam his ſecluſis, Creatura abſolutè non poteſt coli Duliâ.

XV.

SPlendidè mentitur quicunque aſſerit; quod hæc propoſitio, *Creatura* abſolutè *poteſt coli cultu Duliæ,* ſit communis Doctorũ. Nam nemo fuit adeo fatuus qui eam abſolutè protulerit. Et iniuriâ tribuitur D. Thomæ 22. q. 103. art. 3. vbi ille ait: *Dulia ſeruitutem exhibet homini dominanti*: at non creaturæ abſolutè. Et 3. d.

9. q. 2.

9. q. 2. art. 3. postquam dixit: *Dulia creaturæ exhiberi potest*, statim se explicat, & addit: *habenti gratiam & virtutem.*

XVI.

APostolus præcipit seruos Dominis suis subditos esse. Ergo *Creatura* absolutè *potest coli Duliâ.* Crassa consequentia. Nam plus est esse Dominum, quam creaturam. Esse Dominum, excellentiam significat; ratione cuius debetur honor Duliæ Dominis.

XVII.

HÆc propositio: *Creatura sic potest coli cultu Duliæ, quod possit coli cultu Latriæ*, est Hæretica, condemnata à Gregorio XI. vt refertur in Directorio Inquisitorum 2. p quæst: 10. his ipsissimis verbis: *Secunda Hæresis est, quod licitum est creaturas adorare, & honorare, honorè & adoratione latriæ absq; peccato, imò meritoriè in quãtũ sunt repræsentatiuæ sui Creatoris.* Hæc ibi. Et tamẽ creaturarũ cultores dicunt, hanc propositionem, etiam prçcisè absq; suâ exponente, non esse Hæreticam. Eandem S. Tom: reiicit 3. d. 9. art. 2 q. 6.

XVIII.

ETiamsi ratio formalis colendi creaturam sit excellentia Diuina tamen creatura non potest coli latriâ. Nam qui colit creaturã inquantum est repræsentatiua sui Creatoris, certè colit eam ratione excellentiæ diuinæ, & aliquandò meritoriè: & nihilominus Gregorius XI. dicit, quod hoc sit hæresis, vt vidimus.

XIX.

D. Ioannes verè ratione excellentiæ diuinæ voluit adorare latriâ Angelum sibi apparentem, & tamen Angelus hoc prohibuit, dicens: *Vide ne feceris.* Secundum reuerentiam quæ debetur Deo, prohibitus est Ioannes Angelum adorare, dicit S. Thomas. *Apoc. vlt.* Et creaturarum cultores asserunt hoc esse licitum, & fieri posse, dũmodo ratio formalis illius cultus sit excellentia diuina: quod Pontifex damnat, Angelus prohibet. *22. q. 84. art. 1. ad. 1.*

XX.

PEr hoc quod asseritur: *Creaturam posse coli latriâ, dummodò ratio talis cultus sit excellentia diuina*, datur facultas Phanaticis hominibus adorandi Dæmonem, quandò eis apparet in forma Crucifixi. Huiusmodi enim cultores rationem formalem, & proximum motiuum sui cultus habent excellentiam diuinam, & hoc ipsi ingenuè fatentur, & hanc rationem pro sua defensione adferunt.

XXI.

CReatura quantumuis colatur latriâ ratione excellentiæ diuinæ, nihilominus creatura est. Proindè hac ratione cultus diuini absolutè capax dici non potest. Propterea enim Arianos Patres orthodoxi inter Gentiles, & Idolatras collocant, quia Filium Dei quem Creaturam faciunt, cultu diuino adorant: licet id ratione excellentiæ diuinæ faciant.

XXII.

LIcet Theologi concedant, Creaturam posse coli latriâ per accidens, quando ratio illius cultus est excellentia diuina, nullus tamen dicit, Creaturam ratione excellẽtiæ diuinæ, cultus diuini esse capacem. Imò implicat in adiecto dicere, creaturam posse coli latriâ per accidens, & quod sit latriæ capax. Nam eo ipso quod colitur latriâ per accidens, non est capax cultus illius. quia cultũ illum non capit, non continet, sed totus quantus est, in Deum transit, & redundat. Vndè quandò creaturarum Cultores asserunt, creaturam ratione excellentiæ diuinæ esse cultus diuini capacem, conuincuntur creaturas colere per se, & non per accidens, propter ipsas, & nõ propter Deum, quicquid verbis asserant.

XXIII.

QVandò creatura ratione excellentiæ diuinæ colitur latriâ per accidens, non debet dici quod tunc creaturâ colitur latria, sed Deus in illa creaturâ. Illud enim quod est per accidens, cùm sit præter intentionem, nemo aspicit, nemo intendit, nemo colit, sed mente defixâ in id quod per se adorat, de eo quod est per accidens minus cogitat, non tamen propterea Hæreticus est; nam de cultu creaturæ, nec de eo quod colitur per accidens, nullum præceptum extat.

XXIV.

CAtholici cùm Eucharistiam latriâ adorant, non respiciunt ad id quod in ea creatum est, puta ad illam albedinem, vel rotunditatem; sed ad id quod in ea est verus Deus, nempe ad Christum Dominum; & quamuis illas species creatas non adorent, imò plerumq; de eis non cogitant occupati circa cultum Christi, per hoc tamen nõ peccant, multo minus hæresim incurrunt, vt creaturarum cultores censent.

XXV.

COncilium Tridentinum quandò Sacramentum Eucharistiæ latriâ-

triâ coli debere determinat, non creaturam ratione excellentiæ diuinæ latriâ honorare iubet, vt ille Sophista putat. Sed ipsum Christũ ratione excellentiæ diuinæ, cultu diuino prosequi imperat, quod sess: 13. can. 6. apertè declarat. *Si quis dixerit in S. Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ etiã externo, adorandum, & eius adoratores esse idolatras, anathema sit.* Cõc. Trid. Ses: 13. cã. 6.

XXVI.

IN rebus fidei modum loquendi Scripturæ sacræ, Conciliorum, & SS. Patrum sequi debemus. Et cùm nullibi Scriptura S. Concilia, Patres, creaturã ratione excellentiæ diuinæ latria coli posse, aut latriæ capacem esse affirment: Ariani vero cum Sophistis id fieri posse doceant: ne videamur concordare cum Hæreticis, simpliciter negamus creaturam quantumuis ratione excellentiæ diuinæ colatur, latriæ capacem esse: sed Deum in tali actu adorari latriâ constanter asseueramus.

XXVII.

IN veteri lege Angelus personam Dei gerens ratione excellentiæ diuinæ non colebratur latriâ: alias Abraham, Moyses, Iosue, & alii quibus Angeli apparuerunt essent idolatræ. Sed colebant Angelos secundũ reuerentiam debitam creaturæ excellenti, videlicet cultu duliæ. Vel adorauerunt adoratione latriæ Deum qui in persona Angeli ~~Dei~~ apparebat; vt S. Thomas docet. Proinde illustre est mendaciũ Sophistæ illius, qui asserit esse communẽ sententiã Doctorum, quod videlicet in veteri lege Angelus personam Dei gerens colebatur latriâ. cùm hoc nullus asserat, nisi Ariani noui. 22. q. 84. art. 1. ad. 1.

XXVIII.

CVm imagines Christi latriâ colimus, non imagines ipsas propter excellentiam diuinã latriâ veneramur vt Iconomachi, & Sicophãtę nobis obiiciũt, sed per imagines quas osculamur, & corã quibus caput aperimus, & procũbimus, Christum adoramus. vt Concil. Triden. docet. Propterea qui colebãt imaginẽ Christi diuinis honoribus, quãuis propter Christum illã colebãt, inter Hæreticos numerãtur à D. Irenæo lib. 1. c. 24. circa finem. D. Epiphanio Heresi 27. D. Augustino. hæres. 7. D. Damasceno, lib. de 100. Hæresibus circa finem. Sess: 25. de sacris imag.

XXIX.

CHristi imagines colimus latriâ, sed non præcisè propter excellentiam

lentiam diuinã, vt Sophistæ putant, sed in quãtum sunt coniunctæ cum prototypo, & quatenus sunt vnum in esse repræsentatiuo cum Christo. Et ita non creaturas colimus, propter Christum, sed in creaturis ipsum Christum, vt Concilia, & Patres loquuntur.

XXX.

CVm humanitatem Christi, latriâ colimus, non creaturam ratione excellentiæ diuinæ cultu diuino prosequimur: Sed ipsum Verbum diuinum in illa humanitate adoramus. Et ita humanitas Christi licet sit creatura nobilissima, nihilominus dici non potest latriæ capax, quia ille cultus non est suus, sed Verbi diuini, in quod transit, in quo sistit, in quo resides.

XXXI.

CVm Christi crucem adoramus latriâ, non creaturã propter excellentiã Christi colimus, vt creaturarum cultores volũt, & Heretici nobis obiiciunt; sed ipsum Christũ qui obiectiuè ibi relucet veneramur. Hinc adorãdo Cruc ẽ dicimus: Tu nos redemisti, tu nos saluasti, tu Patri recõciliasti, ista autem non dicũtur ligno, aut creaturæ, sed Christo qui ibi relucet obiectiuè. Quamuis & ipsa crux in quantũ est res quædam Christi, ratione ipsius Christi, adoretur hyperduliâ S. Thomas. 3. d 9. q. 1. art. 2. quæstiuncula 4.

XXXII.

LIcet nõnulli Theologi asserant B. MARIAM Virg. posse coli latriâ. Hanc tamen sententiam creaturarum cultores falso attribuunt D. Thomæ, & Caietano. Nam D. Thom. 3. d. 9. q. 1. art. 2. expressè dicit: *Beata Virgo Maria non potest adorari latriâ, sed Dulia. Et in quantum pertinet ad Christum honoratur hyperdulia.* Quid clarius? Et Caietanus 3. p. q. 25. art. 5. vers. *Ad hoc*, ita docet. *Cúm latriâ inter creaturas debetur soli venerabili ratione alterius, consequens est, quod quodcunq; creatum est secundum se venerabile, non est ratione alterius venerabile látriâ.*

XXXIII.

DE his quæ sunt per accidens, cum sint extra artem, nemò Sapiens iudicat, nemo determinat: proindè ea extra Cõtrouersiã esse uolo; ut Sophistæ huc nõ confugiant, & fucũ imperitis, & incautis non faciant.

Has Theses de cultu vnius veri Dei, subijcio censuræ S. R. Ecclesiæ Matri, & Magistræ omnium Christianorum.

CRACOVIAE, *Ex Officina Typographica Francisci Cæsarii.*

SOPHISMATA, SEV CAVILLI;

Quibus creaturarum noui cultores probare contendunt creaturam posse coli, imó & cultus Diuini capacem esse, dummodò ratio formalis talis cultus sit excellentia Diuina.

Diluuntur

CAVILLVS I.

C*Reatura coli potest: Et oppositum est Hæreticum.* Vox (vt leuiusculo verbo vtar) est præsumptuosa. Alias Beatissimus Papa, Cardinales, Episcopi, Prælati, Ecclesiæ Doctores, & omnes Christiani essent (manus trepidat scribere) Hæretici. Nam ipsi oppositum sentiunt, creaturas siue idola non colunt, nec ea coli posse, asserunt, sed omnes vnâ voce confitentur: Nos vnum Deum colimus qui fecit cœlum & terram.

Oppositum est hæreticum: Imò oppositum sentire est Christianum & Catholicum: asserere autem *creaturam coli posse*, est ethnicum, quod deducitur hac euidenti consequentiâ:

Creatura potest coli
Idolum est creatura
Ergo idolum potest coli.

Valet argumentum per Regulam Antepraedicamentalem: *Quicquid dicitur de prædicato, dicitur & de subiecto.* Sed de prædicato huius propositionis; Idolum est creatura, adoratores creaturarum dicunt; quod coli posset, aiunt enim: Creatura coli potest, Ergo & de subiecto eiusdem idem debent dicere, quod nimirum idolum coli posit. In vi huius Regulæ formo tale argumentum.

Idolum est creatura,
Sed creatura secundum te coli potest:
Ergo idolum secundum te coli potest.

 Et ex-

Et extenditur hæc Regula etiam ad prædicationes non essentiales primæ intentionis, vt notat Caietanus in Commentario eiusdem.

I I.

Res sacræ in honore habentur: Ergo creatura coli potest. Inepta consequentia. Nam res sacra plus dicit quam creatura. Addit enim ordinem ad Deum, cuius cultui specialiter est dicata, ratione cuius colitur. Quo ordine sublato, res sacra non minus coli poterit, quam idolum; remanebit creatura, sed non erit res sacra.

I I I.

Psalmo 98. dicitur: Adorate scabellum pedum eius. id est Arcam. Ergo creatura coli potest. Scilicet, iussit Deus adorare creaturas, rudi illi, leui, & ad idolatriam propenso populo, cui nuper mandauerat: *Non facietis vobis sculptile, vt adoretis illud. Leuit: 26.* I Iussit quidem adorare Arcam, sed non iussit adorare creaturam, sed seipsum in illa creaturâ, puta in Arcâ quæ ad cultum ipsius erat ordinata, & Christum præfigurabat. *S. Thomas 1.2æ. q.102. art.4 ad 6.*

I V.

Serpens æneus quem Moyses erexit, fuit in honore. Ergo creatura potest coli. Insulsa consequentia. Nam serpens ille non fuit propositus ad cultum, sed ad curationem Iudæorum, & ad mysterium Christi crucifixi, cuius erat imago in forma serpentis ænei. *Ioan: 3.* Et quamuis nonnulli dicant illum serpentem à Iudæis adoratum fuisse, nemo tamen dicit, Iudæos tunc creaturam adorasse: quomodo enim id permitteret ardentissimus ille diuini cultus propugnator Moyses, qui nuper propter vitulum aureum à Iudæis adoratum occiderat tria millia hominum? *Exodi 32.28.* Si igitur adorabant serpentem, non adorabant creaturam, sed Christum, quem ille serpens repræsentabat, vti nos hodie adoramus imagines Christi. Vide Thesim XI.

V.

Moyses locum illum in quo ei Deus apparuit adorauit, & in signum huius calceamenta soluere iussus, soluit. Ergo creatura coli potest. ℞. Moyses non adorauit tunc terrã, sed Angelum qui ad eum locutus est in eo loco adorauit Duliâ: & Deum qui in persona Angeli apparebat, adorauit cultu Latriæ. vide Thesim XVI. & XXVII.

V I.

V I.

Ecclesia imagines esse adorandas censet. Ergo creatura potest coli. Hoc argumentum est idolatrarum, quo vtuntur ad probandum, idolatriam non esse peccatum, quod cùm proposuisset S. Thomas *22. q 94. art 2. arg. 1.* ibidem statim soluit, vide Thesim XIII. Vlterius negatur consequentia. Nam imago plus dicit quam creatura. Addit enim rationem repræsentatiui sui prototypi, qua sublata, remanebit creatura, sed non erit imago, & non magis poterit adorari, quàm truncus, vel idolum. De imaginibus

V I I.

Creatura potest coli cultu Duliæ; Est communis Doctorum Ecclesiæ, præcipuè D. Thomæ, & D. Augustini. Iniuriâ hæc propositio tribuitur his Doctoribus, quasi ipsi eam his verbis simpliciter posuerint. Vide Thesim XV. & XVI.

V I I I.

Nec ista est hæretica. Creatura sic potest coli cultu Duliæ, quod possit coli cultu Latriæ. Dico eam esse desumptam ex Raymundi Lulli articulis damnatis, primo à Gregorio XI. Anno Domini *1372.* vt testatur Bzouius Tom: XIV. Anno *1372. n. 14. error. 4. in ordine & inferius num: 20.* Postea à SS. Congregatione S. Officii Eminentissimorum DD. Cardinalium, Anno Domini, *1617.* vt scribit idē Bzouius Tom. XVI. ad Annum Dom. *1432. num: 170.*

I X.

Creatura potest coli cultu latriæ hoc modo: Si Diuina excellentia sit ratio formalis colendi creaturam: & oppositum eius est hæreticum. Quam absurda sit hæc propositio, monstratum est Thesi XVIII. & quinque sequentibus ibidem.

X.

Si creatura ratione excellentiæ diuinæ non posset coli Latriâ. Sacramentum Eucharistiæ non deberet coli latria propter excellentiam diuinam. Putant creaturarum adoratores, nos in Sacramento Eucharistiæ creaturam latriâ adorare, quem sensum mutuarunt ab Arianis nouis, qui Catholicos afficiunt hac contumeliâ. *Pontificii*, inquiunt, *non sunt Christiani, quia præter Deum diuino honore alia colunt, puta Hostiam Sacramentalem.* Et certè triumpharent de nobis, si id verum esset quod noui adoratores creaturarum sentiunt de nobis.

Smalcii Ariani contumelia in Catholicos.

bis, quasi nos creaturam adoremus, cum Sacramentum Eucharistiæ latriâ colimus. Sed falluntur, & fallunt tam Ariani, quam creaturarum cultores. Nam Pontificii (vt illi nos vocant) in Hostia sacramentali non adorant quidquam aliud præter Deum, sed ipsum Christum verum Deum. Adorant carnem Dei, non carnem in carne, sed Deum in carne.

XI.

Concilium Tridentinum Sess: 13. c. 5. determinat Sacramentum Eucharistiæ debere adorari latriæ cultu. Ergo creatura ratione excellentiæ diuinæ, potest adorari cultu diuino. Consequentia mala. Nam de cultu creaturarum Concilium Tridentinum nihil determinat. Imò nullus fuit sapiens qui de cultu creaturarum disputaret, seu tractaret. Hinc videas multos Tractatus Doctorum de cultu Dei, de cultu Humanitatis Christi, de adoratione Imaginum; & Crucis Christi, de adoratione Venerabilis Sacramenti, de veneratione Sanctorum, Reliquiarum, &c. At qui scripserit pro cultu creaturarum, hactenus neminem vidi ex Christianis, nisi vnum libellum, qui falsò iactatur Romæ approbatus esse. Concilium Tridentinum determinat Sacramentum Eucharistiæ debere adorari latriâ: sed non creaturam. Sacramentum Eucharistiæ enim plus dicit, plus supponit quam creatura. Non enim solum significat species illas Sacramentales quæ sunt quid creatum, sed significat Christi veri Dei corpus vt est sub illis speciebus. Adoratur itaq; ibi latriâ non creatura, sed Christi veri Dei corpus, & non corpus in corpore, sed Deus in corpore. vide Thesim XXV.

XII.

Angelus in veteri lege ratione excellentiæ diuinæ adorabatur latriâ, Ergo creatura hoc modo potest adorari latriâ. Antecedens est falsissimum contra D. Thomã, & alios Doctores, vide Thesim XXVII.

XIII.

Humanitas Christi ita potest coli Duliâ, quod possit coli Latriâ. Ergo creatura sic potest coli cultu Duliæ, quod possit coli cultu latriæ. Concluderet saltim, ergo quædam creatura sic potest coli, &c. Sed eodem vitio laborat hoc argumentum sicut & cætera. Humanitas Christi enim plus dicit, & plus supponit quàm creatura. Non enim est pura creatura, sed creatura omni genere gratiarum perfecta, &

supra

supra hoc in personâ diuinâ subsistens. Quæ duo si auferantur à Christi humanitate creatura remanebit, sed nullo cultu coli poterit

X I V.

Circumspectè, aiunt creaturarum cultores, *loquimur. Nam cum hac cautela: Vir sapiens intelliget hæc.* Et quid est illud quod sapiēs intelligere debeat? *Rationem*, inquiunt, *excellentiæ diuinæ, propter quam creatura coli potest, & capax esse latriæ.* Sed ista excellentia diuina est extrinseca creaturæ, nam creatura illam non capit, nec capere potest, alias creatura illa deberet esse Deus, & transire in naturam diuinam, deberet habere rationem principii excedentis in infinitum omnem creaturam, quod nemo sapiens intelligit. Cultus est protestatio honoris, seu excellentiæ. Quomodo ergo creaturam illam ratione excellentiæ diuinæ cultu diuino colam, in qua excellentiam diuinam non agnoscam? nam vtique creatura est, quantūcunque colatur ratione excellentiæ diuinæ; Quomodo adorabo latriâ, si obiectum latriæ non habebo? Aliud est ratio cultus, aliud obiectum cultus. Obiectum autem latriæ est Deus, secundum quod est omnium rerum principium, omnia in infinitum transcendens, secundum omnimodum excessum, vt D. Thomas docet. Quod creaturæ nullo modo conuenire potest.

X V.

Circumspectè, aiunt, *loquimur. Nam vtimur verbo ampliatiuo, Potest; Creatura potest coli. Sed non dicimus, debet coli.* Parum differt in moralibus posse, & debere. Quod enim moraliter, hoc est secundum rectam rationem, possum facere, non video cur non faciam, seu debeam facere; Maximè cum hoc posse denunciatur sub interminatione hæresis à creaturarum cultoribus. *Oppositum*, aiunt, *est hæreticum.*

X V I.

Ferariensis & Capreolus docent, quod latria per accidens potest aliis a Deo exhiberi. Non disputamus de his quæ sunt per accidens. Non enim de lana caprina nobis est concertatio, sed de Fide: de principali articulo Religionis nostræ, quo ab Ethnicis discernimur. Non de sensu nobis est quæstio, sed de verbis, quibus confitemur fidem ad salutem. Scriptura dicit: *Maledictus omnis qui colit creaturam.* Ecclesia determinat: *Hæresis est dicere, licitum esse colere creaturam*, vt in Thesibus monstrauimus. Absolutè tam Scriptura, quàm Ec-

clesia loquitur: & qua fronte creaturarum adoratores absolutè oppositum pronunciant, & eos qui absolutè cum Scripturâ & Ecclesiâ loquuntur, hæreticos vocant? De his quæ sunt per accidens cùm sint extra artem, Ecclesia non determinat, imò nullus sapiens de eis iudicat.

XVII.

D. Thomas in multis locis clarißimè docet, quod Humanitas Christi, Crux Christi, imago Christi, sit adoranda cultu latriæ. Ergo creatura potest coli latria. Mala consequentia. Nam Humanitas Christi, imago Christi, Crux Christi, plus dicunt, & plus supponunt quá creatura. Qui super excessus si auferatur ab eis remanebunt creaturæ, sed nullo cultu coli poterunt. vt iam monstraui in solutione Sophismatis II. VI. X. XIII.

XVIII.

Raphael de la Torre docet: *Creaturam sic posse coli cultu Duliæ, quod poßit coli cultu latriæ; Si excellentia Diuina sit ratio formalis colendi creaturam, propter excellentiam diuinam, & tunc,* inquiunt, *creatura latriæ capax est.* Si quis creaturarum cultores mentiri dicat, nullam eis credo iniuriam irrogaret. Nam Thesi prima adduximus verba Raphaelis, qui aliud loquitur ibi, quàm isti dicunt. Addo nonnulla: Raphael eo loci ita scribit: *Quando proximi coluntur propter Deum.* Ecce non dicit: Quando creatura colitur, sed *Proximi*. Proximus plus dicit, & plus supponit quàm creatura. Addit enim supra creaturam rationalitatem, & capacitatem ad consequendam vitam æternam, & vlterius excellentiam aliquam ratione cuius colitur, quod creatura non dicit. Vnde Dæmon quamuis sit creatura rationalis, non tamen dici potest proximus. Quare si ista vera esset: *Creatura potest coli,* non video cur etiam dæmon non poßsit coli, cùm sit creatura eaque nobilißsima.

XIX.

Raphael de la Torre loco citato dicit: In tali cultu proximorum potius debet dici coli Deum, quàm proximos, Ergo non negat prorsus in tali actu coli creaturam, eodem cultu quo colitur Deus. ℞. Illa particula *potius*, debet intelligi non comparatiuè, sed aduersatiuè. vti & illud Rom: 1. 25. *seruierunt creaturæ potius quàm Creatori.* Quod ipse Raphael satis apertè innuit, cùm mox addit: *Iste modus colendi proximos propter Deũ ad latriam pertinet, quia reuera cultus Dei est.*

XX.

XX.

Ferariensis 3. cont: Gent. c.120. docet. non esse inconueniens eundem honorem deberi Deo, & creaturæ: Deo primo, & per se, creaturæ in quantum est Dei repræsentatiua. Sobriè intelligendus est Ferariensis, præcipuè quoad ista vltima verba, quæ etiam reperiuntur in illo Raymundi Lulli articulo damnato, *creaturæ in quantum est Dei repræsentatiua,* addi debet: ita tamen vt in illo actu dicatur coli latriâ non aliquid aliud à Deo, sed ipse Deus; quod etiam non omisit Ferariensis. Et Caietanus *22. q. 103. art. 3.* circa finem solutionis dubii 4. explanauit. *Si quis,* inquit, *creaturam veneraretur, in quantum est similitudo, vel vestigium Dei, hoc est, quod veneraretur Deum in creatura hac vel illa, latriæ cultum exhiberet, non creaturæ, sed Deo in creaturâ.* Quid clarius dicere potuit Caietanus? Et tamen creaturarum cultores eum pro sua sententiâ adducunt.

XXI.

Quod creatura rationalis ratione excellentiæ diuinæ latriâ coli non possit, hoc fit ratione scandali nè videlicet populus fidelis existimet cultum illum in creatura rationali, vt potè secundum se cultus capace, sistere, & non in Deum referri. At secluso scandalo creatura rationalis ratione excellentiæ diuinæ posset coli latriâ. Valdè hallucinantur creaturarum cultores. Nam stante scandali occasione, & seclusa scandali occasione, nunquam creatura rationalis potest coli latriâ ratione excellentiæ diuinæ. Sed si non esset occasio scandali, coleretur latriâ ratione excellentiæ diuinæ, non creatura rationalis, sed Deus in creatura rationali, qui modò cõmuniter hoc cultu in creatura rationali non adoratur, ne occasio scandali præbeatur, vide Thesim II. Accipe Caietanum *3. p. q. 25. art: 5.* circa finem commenti sui ita apertè docentem: *Personam B. Virginis sola hyperduliâ honoramus ad euitandum errorem eorum qui latriam terminarent ad B. Virginem secundum se. Non enim plebs tantum penetraret, vt adoraret latriâ Christum in B. Virgine.* Christum inquit, Ergo si plebs penetraret, ita vt nulla esset occasio scandali, adoraremus latriâ non B. Virginem, sed Christum in B. Virgine. De cultu B. Virg.

XXII.

Sententiâ nostra nullam habet communionem cum Arianis. Si quis optimè penetret doctrinam Arianorum nouorum, (nam & illi mille artibus, & fucis verborũ suam sententiã contegũt & conferat cũ

hac

hac doctrina nouorum cultorum creaturarum, inueniet horum sententiam esse peiorem quàm sit Arianorum. Ariani enim non valentes frangere, nec sustinere impetum Orthodoxorum à Christiano nomine se, suosque repellentium, & Gentilibus ac Idolatris adnumerantium, eò quod Christum quem creaturam dicunt, ratione excellentis potestatis diuinæ, latriâ adorant, huc confugiunt, & dicunt: Non ratione solius excellentis potestatis diuinæ se Christũ cultu diuino prosequi: sed vltra hoc (inquiunt illi) habemus mãdatum diuinum. *Adorent eum omnes Angeli Dei, Hebr:* [illegible] Et rursus: *Ioan: 5. vt omnes honorificent Filium, sicut honorifi*[illegible] *Patrem:* Ecce Ariani ad excellentem diuinam potestatem ma[illegible]um Dei adiungunt: & creaturarum noui cultores ratione f[illegible] excellentiæ diuinæ creaturis diuinos honores decernunt.

Creaturarum noui cultores, Arianis peiores.

Rursus Ariani cultum diuinum distinguunt, & [illegible]: Cultum diuinum creaturæ deberi, (puta Christo, quem p[illegible]nam inutiliam creaturam faciunt) qui sit eiusdem generis cum [illegible]o cultu quò Deus colitur, non tamen est illi æqualis. Creatur[illegible] cultores verò cultum latriæ non distinguunt, sed eundem quo D[illegible]us colitur creaturæ deferunt, *dummodò*, inquiunt, *ratio talis cultus sit excellentia diuina.*

Vltimò: Ariani, oppositum sentientes, hoc est, creaturam coli posse latriâ, ratione excellentiæ diuinæ, negantes, hæreticos non vocant: At creaturarum noui cultores adeò cum suâ opinione superbiunt, & insolescunt, vt omnes qui secum non sentiunt, hæreticos vocent. Et hanc suam censuram Romæ approbatam esse, per Poloniam, & alibi diuulgant.

Exurge Deus, & iudica causam tuam.

[illegible]

Omnia hæc Censuræ S.R. Ecclesiæ humillimè submitto.

[illegible]